

ritur, quod salutare Ecclesiae, quod gloriae DEI proficuum, quod calculis conscientiae olim non sit adversum. De aliorum vocationibus nunquam fui sollicitus, quisque suam expendat ad tabulam legum Episcopaliū à Paulo praefixarum conscientiam: Quare quae eo nomine ad me missa sunt, me non movebunt. Non enim ego quaesivi de vocatione, sed de Syncretismi suspicionem, cujus Pl. R. V. A. ream peragere videtur censura pro Herm. Pacifico. Id verò non leviter pungit animam meam, quod ex commercio literarum cum Pl. R. V. Exc. in labem immergor conniventiae, à quā quam immunis sim, Dominus novit. Quare posthac cessent illa commercia inter nos literarum. Ego denuo ingenuè, quid de principiis syncretisticis sentiam, exposui in Responsoriis ad Epistolam M. Excell. Ampliff. Dn. J. P. C. P. C. & fraudum syncretisticarum architectis occursum quoad antenus puto, paratus addere fortiora praesidia & arietes, quamquam id alias fecerim alibi que. Recordor iure eorum, qui tristi exitu vitam clausere suam, in doctrina de S. Coena hallucinati, qualis est Berengarius, sectae Calvin. Dædalus, qualis Stosseius, qui deficiens à fide miserabiliter animam efflavit. Hæc DEI sunt iudicia, nobis timenda; nec despectui ducenda est Philippi sententia, quæ hæc: Fieri potest ut alia (CALVINIANA) sententia blandiatur animo otioso (SYNCRETISTICO EGO ADDO) quæ magis est consentanea iudicio huma-

huma-